









231. dett  
44


VITA  
ILLVSTRISSIMI  
AC  
REVERENDISSIMI  
DOMINI,  
D. SIMONIS  
RVDNICKI  
EPISCOPI VARMI.

~~BRUNSBURGÆ~~  
ENSIS.

conscripta



A  
R. P. IOANNES RYVVOCKI  
Societatis Jesu,



BRVNSBERGÆ 1645  
Typis Caspari Weingärtner.

ИМЯНІЧЕСТВО  
ЯДНИКІВ  
ІМЯНІЧЕСТВО

BB-1238100

三

JOANNE RYANOGRIS

1151 0812

卷之三

XVII.2.248





Vibus nominibus adductus fue-  
rim, vt Simonis Rudnicij Epis-  
copi Varmiensis, viri integerimi,  
vitam conscriberem, omitten-  
dum esse non putau. Scio enim

Causæ Scri-  
ptionis istius

plerosque ad priuatum officium curam istam quædā pri-  
uatae vocaturos: quibus constat meam omnem fortu-  
nam, ac literarum, quodcunq; illud est, no-  
men ab institutione ac impensis Rudnicij ve-  
nisse. Alij referent in Alberti Rudnicij Præpositi  
Varmiensis vota, quasi à meo calamo æternita-  
tem illi voluerit prouidere, quam suis Virtuti-  
bus eximiè promeruit. Hæc rationum momen-  
ta quemadmodum excusare non possum, ita  
non esse in medio relinquenda existimo. Habe-  
bo gratiam, si qui me gratitudini operatum esse  
dixerint, et stylum ad Patroni Virtutes per æsti-  
mationem beneficij transtulisse. Nec eos mora-  
bor, qui ad hominem amicissimum primos me-  
os instinctus referent: satis quippe gnaros, nihil  
illi, utpote inanis omnis famæ hosti, hac in re  
propositum fuisse, quām Patrui sui virtutes in  
lucem asserere. Latiūs interea meos ego sensus  
profero, publicæq; rei interfuisse aio, ne tantus  
vir posteriorum memoriam effugeret. Diu hoc  
expectabat Prouincia, cui præerat: diu Aula,  
in qua sanctissimè vixit: diu Regni Antistites,

quædam  
publicæ,

qui

qui eius decora prosecuti sunt suis. Publicis his omnium desideriis priuatam meam pietatem non conjunxit, videbatur mihi prorsus difficile. Rem itaque aggredior.

Rudnicianæ  
familiae no-  
bilitas

Rudnicorum Gens clara semper per Polonię fuit. Quum adhuc nobilitatis ea, quæ nunc est inter Equites, non fuisset æqualitas legibus statuta, titulis distinguebatur à cæteris, et vocabantur Comites de Bechcžice. Nunc prærogativam istam, familijs omnibus ad parem generis potestatisque gloriā traductis, in fastis domi retinent: promunt autē apud exterōs, qui sanguinis claritatem varijs gradibus componunt. Eam ob causam facili via ad dignitates omnes à principio ibant. Nullum est pro summis Magistratibus in Repub: subsellium, in quo stemma Rudnicorum non reperias. Sed longum esset retexere, quibus in honoribus ad nostram vsq? ætatem vixerint. Quà latè patet Polonia, plurimis prouinciis suum nomen infuderunt. Siradiam tamen amplius incolunt, terram magnorum virorum feracem, et Senatorijs trabeis per plurimas curules sparsis celebrem. Hic ortus est ex Nobilissimis parentibus Simon Rudnicius anno sesquimillesimo quinquagesimo secundo, 13. Calend. Nouembr. fratre Ioanne, Castellano Siradiensi, natu minor. In do-

honores

et  
amplitudo.

Simonis  
Rudnicij na-  
tales.

doles eximia , animiq; vigor excitatus , pâ-  
rentes sponte promptos excitauit , ut optimis  
moribus imbuerent , promouerentq; igni-  
culos , quibus ad literarum tractationem fere-  
batur. Domi initia in sinu paterno accepit : Ca-  
lissij deinde et Cracouiæ in humaniorum lite-  
rarum cultu annos aliquot posuit : quo pro-  
fectu licuit postea agnoscere , quum in omni  
confessu , et apud diuersas nationes Latinè , et  
quidē eleganter loqueretur. Pietatem autem  
vtroq; in Collegio adeò familiarem habuit , ut  
jam pleriq; in ipso teneroris ætatis flexu sacer-  
dotium ipsius præciperent . Vbi verò gustus  
gloriæ sensim peruersit animum , de exteris re- quām apud  
exteris.  
gionibus cogitationes suscepit , ut inter lite-  
rarum curas positus , mores simul Gentium ac  
ingenia cum delectu exploraret . procul ab illo-  
rum proposito , qui plura videre quām obserua-  
rè malunt . Bononiam ergo missus Philosophiæ  
et juri Canonico tres integros annos impendit .  
Inde Romam transiuit , ut quæ calamo memo-  
riâq; exceperat inter privatos parietes , in Ro-  
mana Curia exerceret . Neq; interea Oratoriæ  
facultatis Historiæq; curam seuerioribus his  
disciplinis abrumpebat ; quod sciret , duobus  
his velut fulcris ciuilem peritiam communiri .  
altera enim dicendi materiam suggerit , altera  
verbis

verbis argumentisq; Boni Ciuis dignitatem ab-  
soluit. Erat tum Romæ Stanislaus Hosius Car-  
dinalis Varmiensis Antistes, vir quem omnis  
ætas prædicabit, nulla satis mirabitur. Videbat  
is in illo Orbis comitio ex Polono Imperio plu-  
Placuerunt  
Hosio Car-  
dinali eius  
virtutes.  
rimos; et, ut erat acer ingenio, in singulorum  
moribus dotibusq; naturæ, futuros successus no-  
tabat. Delectatus præ alijs dicitur magnoperè  
Rudnicij consuetudine, quod ad modestiam  
grauitatemq; compositus, neq; ætatem in ludi-  
cris consumeret, neq; cælestibus propositis  
ullo modo vitam institueret dissimilem. Cre-  
diderim diuinis instinctibus actum fuisse v-  
trumq; ad hanc animorum societatem: alterū,  
ut se magno rerum æstimatori in spes non va-  
nas porrigeret: alterū, ut coleret velut succe-  
forem. Plura postea in Rudnicio emicuerunt  
virtutum ornamenta, postquam inter familia-  
res continuosq; Hosii adlectus est. Quæ enim  
erant animi decora ita illi ad exemplum imita-  
tionemq; necessaria, ut ea in suo Cardinali non  
haberet? Quanquā enim hic primarios pulcher-  
rimarum actionum splendores privatis exerci-  
tationibus tegebat: publicos nihilominus esse  
voluit, qui in Ecclesiæ commodum spargi de-  
bebant, poterantq; aliis prodesse. Aula proinde  
illius passim Schola Präfulum Sacerdotumq;  
audie-

audiebat, quod bene formatos in diversa subsellia dimitteret. Neque satis erat bonis exemplis institutionibusque imbuisse, quos magnis officiis perspiciebat idoneos: providebat illis insuper Ecclesiastica munia, ut velut in gradu ad majora poneret, obseruaretque simul, quam ratione doctrinam ac monita in actione deducerent. Quum iam laboribus honoriisque maturum vidisset Rudnicum, adiit Pium v. Pontificem Maximum, multaque in commendationem sui familiaris praefatus, obtinuit demum, ut Custos Gnesnensis atque Vniejouiensis Archidiaconus esset. Ita assecutus est Clemens Patruus, quod diu anxie cupiebat, ut Nepos Custodiā Gnesnensem Coadiutor teneret. Virtuti autem, non sanguini favorem hunc tribuebat: gnarus, difficilem esse primum in altiora consensum, nisi aliquis connitentem manu attollat. Multorum dexteritas alioqui magna et ingentibus factis idonea, haesit in plano, quum nullus a principio patronus accurreret. Fit tamen interea, ut plerique aliorum patrocinia infra vota tractent, citodeque expleant animos majorum capaces. At Rudnicius pusillanimitatis esse censuit, in primum se honorem toto pectore involuere, et gradum accipere in quietem. Quamprimum in Patriam rediit, contulit se in Aulam Stephani Regis,

beneficis  
Ecclesiasti-  
cis ornauit.

ad eurum  
veræ gloriae  
instruxit.

In Aula  
Stephani  
Regis

quam

proficiebat  
ex conuersa-  
tione

habita cum  
peritis

et cum pro-  
batis uiris.

Eundē uitæ  
tenorem sub  
Sigismundo  
Rege, indu-  
trio ingeni-  
orum in-  
spectore,  
q̄tinuit,

quam doctissimi cultissimiq; viri impleuerant.  
Ibi potissimum jungebat se illis, qui Regio la-  
teri proprius hærebant, tanquam emeritæ vir-  
tutis testimonio ex hac Principis dignatione  
notiores. Ex eorum commendatione id præci-  
puè in animum referebat, quo in DEI cultu  
rerumq; ciuilium peritia proficeret: dsigna-  
tus semper mutuas obsequiorum ludificatio-  
nes, quibus hodie permulti aulicam vitam os-  
tentant. ipse alioqui semper candidus; neq;  
prælargè tegebatur, si quid displicuit! neq; aperi-  
bat immodicè. Singula temperabat ex legibus  
prudentiae. certus, sinceritate amorem concili-  
ari, quemadmodum sub dubia humanitate non  
rarò bona fama periclitatur: Vitia autem cum-  
primis fugiebat in alijs, ne sibi ex consortio ad-  
hærerent, aut facerent saltem opinionem in-  
cauti. Nescio enim, an aliquid magis omnia  
crescendi argumenta in pejus transferat, quām  
suscepta imprudè sodalitas: idq; usitato ho-  
minum judicio, in sociorum moribus mores  
alterius insipientium. Hanc deligendi consue-  
tudinem tantò impensiùs postea tenuit, quum à  
Sigismundo Rege, Stephani successore, æstimari  
cæpit. Solertissimus hic erat Princeps in nos-  
cendis ingenijs. Quos magnæ famæ modestæq;  
conuersationis esse didicerat, præsertim si cæ-  
teræ

teræ dotes accederent, eos minoribus subsellijs  
accipiebat : speculatus è longinquo, quibus  
virtutibus vitijsuè honorem stiparent. Quos  
constantes reperiebat, non idcircò statim ma-  
joribus admouit, ne primas industriæ vires va-  
lidioribus officijs læderent. Hac ratione, spe-  
randi patientia veniebat in meritum, & am-  
bitio mitescebat cum tempore. Allegerat et  
Rudnicium inter Secretarios, diuq; sub hoc  
titulo tenuit: sed nomen hoc non sinebat es-  
se otiosum. quod erat indicio, non desiturnum  
Principem benefacere. suggerebat ex occasio-  
ne varia ne gotia, quæ Commissarius aut Lega-  
tus conficeret. Quo in munere planè multi-  
plici, & ad arbitrium Domini diuerso, decem  
et octo annos integrè versatus, laudem quidem  
obtinebat maximam, sed fortunam non pro-  
mouebat: siue quòd, ut erat magnæ moderatio-  
nis, operi intentus mereri maluit, quàm com-  
mendatione meritorum Regias aures pulsare;  
siue quia indecorum esse putauit, præmijs tem-  
pus præscribere : quæ vtiq; honorificentiùs  
veniunt non impetrata. Neq; hæc ei malè ceci-  
dit sententia. Rex enim omnibus simul sub as-  
pectum positis, ne rogatus quidē Regentem mi-  
noris sigilli, nō sine qorundam inuidiâ dixit,  
Tilicio tunc Procancellarij munus obeunte.

et idcircò ad  
varia  
munia ad-  
hibitus est,

Regens  
imprimis  
Sigilli

deinde ma-  
jor Secreta-  
rius  
dictus

sed et hoc munus dignitas tantum fuit; aut, ut quod summum est dicam, dignitatem merendi locus. Adhuc enim patrimonium impensis fatigandum erat, quae non exiguae honoribus debentur. Triennium in hoc officio, singulari cum dexteritate posuit: hoc jam felicior, quod Regis oculis proprius admotus, virtutes suas sine interprete posset promere. Neque is erat Sigismudus Rex, ut diligentissimam ipsius inspectionem quisquam fugeret: & Rudnicius sibi prescriperat, summam muneris bene gesti in Regem extendere. Vbi haec cogitatio semel sedidit, sub ipsis curis alacer incedit animus, et laetus, quoties negotiorum difficultas humeris magna mole incumbit. Nihil enim magis ad res integrè gerendas juuat, quam si quis propositum suum cum Principis uoto conjungere laboret. Hinc ardor non deses nascitur: hinc inquietum agendi studium. Tantò namque plus voluptatis in sudoribus sentitur, quantò publici finis summæque potestatis major est respectus. à quo qui recesserit, næ ille manibus demissis omnia peraget, nec sui compos, nec muneris securus. Quia in consideratione quum honore concessu uteretur, factum est ut quantum Princeps in ornando prius cunctabatur, tantum postea properaret. Dixit

eum

eum majorem Secretarium, quod onus ego  
inter laboriosissima Aulæ officia meritò nu-  
merauerim. tum statim accessere et alij sancti-  
ores opulentique tituli, quùm Præpositus Pos-  
naniensis, Scholasticus Lanciciensis, Canoni-  
cus denique Cracouiensis ac Varmiensis dictus  
est. Ex quibus id commodi nactus erat, quòd additis ali-  
ad amplissimam dignitatem speciosius gerendam stipendum non exiguum suppeditarent. quot opu-  
Et hæc mens fuit Principis multa simul con-  
ferentis, ne aut honor esset inane nomen si-  
ne hoc neruo, aut tantùm opportunitatem de-  
disse videretur paternas opes affligendi. Quâ  
autem solertiâ ac approbatione munus Secre-  
tarij Majoris gesserit, superfluum est recense-  
re. Quid enim non perageret feliciter, qui re-  
rum ciuilium notitiâ facundiaque adeò polle-  
bat, ut maximis ardui officij laboribus nunquā Et quia  
exhauriri posset; supererant potius vires ad sufficiebat  
plura præstanta. Quam facilitatē Sigismun- pluribus eu-  
dus Rex quùm obseruasset, voluit ut Referen- ferendarium  
darium Regni simul ageret; qui honor in Rep: Regni simul  
multum est difficilis, Regumque aures tractat. egit  
Promptam autem requirit eloquentiam, ut magna cum  
simul populorum negotia ex fide recitet; si- dexteritate,  
mul Principis sensum explicit dignissimè. Ter-  
fa prudensque sit, necesse est, dictio, quæ sum-  
mo in Rep: auditori placeat; magnifica, ne

loquentem alieno ore majestatem, indecorè  
eloquentia, submittat. Illud gratiam verborumque pon-  
dus: hoc rationum momenta exigit, atque ab  
ijs solis bene beateque peragi potest, qui ani-  
mum magnis et non suis cogitationibus im-  
buerunt. Ibi artem licet non tam ostentare,  
quām non promere: hic major venustas est,  
quām grauitas absoluīt. Præclarè hæc noster  
Rudnicius præstīt, quia sublime et erectum  
ingenio, ingenium ad solij reuerentiam instruxerat: a-  
deò verò decenter, ut, quūm obsequiis nutum  
approbat. ac Principis præueniret, in ipsius animo ac pec-  
tore vixisse; quūm desideria omnium impleret,  
eorum cogitationes præcepisse videretur. Ita  
factum est, ut et Principis æstimationem his  
moribus occuparet, et in illa positus solicitat  
Curiæ meditatione probaretur à singulis. Ac-  
cedebat ad commendationem opinio virtutis,  
et corporis species. serius vultus, gravis actio,  
serena frontis seueritas, compositus membro-  
rum modus, decora staturæ proceritas, digna-  
erant ornamenta, quæ sceptris è vicino afful-  
gerent. His dotibus addebat gratiam frequens  
cum probatissimis viris conuersatio. In ho-  
rum confessu audiebat et loquebatur magna:  
vitia fori ab honestate et tribunali seponebat:  
patriæ libertatis notas, leges, exempla inuicem

non sine af-  
fidua suā  
ad  
grauiora  
nego: ia  
tractanda

con-

conferebat, quâ consuetudine providit, ut semper velut in theatro viueret; nec prodiret unquam in publicum tanquam nouus, ut disceret, sed exercitatus, ut nota perspectaque promeret. imitatus pugiles, qui præludia extra spectatorū oculos habent, ut in medium lucem producti, magnam semper et totam statim famam occupent. Amicos autem sic coluit, ut cum fortuna non mutaret, diuersus ab eorum inconstantiā, qui vsque ad honores familiaritatem alunt, et postea malunt clientes; quasi altius positos non amari deceat, sed coli. Male profectò ascendunt, qui quos intimos habebant, in imo deserunt. Ille verò quem desereret: eo enim judicio amicos legebat, qui virtutibus suis repere per iulia non poterant. quidā in curulibus Senatorijs sublimes, quùm ex præstanti ingenio primoque dignitatis gradu, magnum fore coniicerent, amorem prævenerunt: alij libenter secuti sunt, quùm ex sinceritate omnia, nihil per simulationem agi viderent. quæ virtus hodie a plerisque male intelligitur, putaturq; prudentia sub persona occurrere. Et sanè sic à natura compositus erat Rudnicius ad grauitatem, ut vultu ludere amicitias non posset, falsos affectus pingere nesciret. verbis verò abuti ad benevolentiae fabu-

præparati-  
one.

interim in-  
amicorum  
constantī  
cultu

sincerus sem.  
per fuit

lam, & ore tantum, non etiam animo loqui hor-  
rebat prorsus. Qui ex arte viuebant, laterique  
ipsius jungebantur, obsequiis colebat, ne of-  
fenderet; quod ipsum summæ artis fuit, sic trac-  
tare ejusmodi humanitatis artifices, ut nec ad  
ad intima admissos se gaudere, nec rejectos esse  
queri possent. quo effecit, ut, quum alij fuge-  
re soleant, à quibus se intelligi sciunt, eum  
idcircò suarum causarum arbitrum judicemque  
mallent, quod in Acta æquè ac animum ni-  
hil præter veritatē referri viderent. nimirum  
non tantum officij auctoritas apud ipsum, sed  
ipse quoque in suo munere quarebatur. sua  
curant qui illud agunt: hoc, maximum est inno-  
centis vitæ testimonium. Neque nunc plures  
bene gesti muneris rationes commemorabo.  
qui copiōse vixit, in ejus laudibus properan-  
dum est. ipsa candida laborantium sub nar-  
ratione virium confessio, laudationis instar  
haberi debet.

Tandem a  
Rege nomi-  
natus est  
Episcopus  
Varmien-  
sis

Et jam me etiam Episcopalis ac Senatoria  
dignitas ad se vocat. Adeptus enim erat utram-  
que, ut haberet testimonium industriae bene  
collocatae, et majoris collocandæ spatiū. A-  
bibat tunc ex Episcopatu Varmiensi in Vla-  
dislauensem Petrus Tilicius, vir singularis pru-  
dentiæ. sedem illam statim Sigismundus Rex

Rudnicio

Rudnicio præ alijs obtulit. Collegium autem  
Basilicæ Varmiensis fauorē hunc liberis omni-  
um suffragijs probauit pridie Non: Nouēbr. an-  
no salutis quarto supra Millesimum sexcen-  
tesimum. Seruat enim Varmiensis Cathedra  
vetustam illam suæ Ecclesiæ libertatem, cum  
qua Reipublicæ Polonæ accessit; et Rege  
ad quatuor Candidatorum, qui sint è suo gre-  
mio Canonici, nominationem admisso, elec-  
tionem fibi retinuit, ut hac ratione et Rex in Se-  
natorem, et Cathedra in Præfulem, exquisi-  
tissimo delectu conueniret. Quam prærogati-  
vam haec tenus Principes eò benigniore manu  
tractabant, quò sedes illa promptius suorum  
jurium decora Regno seruanda defendendaq;  
commisit. Rudnicio autem amplissimus ho-  
nor accedebat, quod tam insigni commenda-  
tione, tam multis votis ad insulam iret; viro  
præterea nobilissimo succederet, qui officij isti-  
us numeros omnes impleuerat. Consecratus est  
anno millesimo sexcentesimo quinto Varsuiæ,  
quo tempore Senatus et equestris ordo Co-  
mitia faciebat. Inde, quò citius curam gregis  
comissi gereret, Varmiam adiit, ipsa die, quæ  
Palmarum dicitur, non sine præfigio (ut tunc  
multi diuini vatesque esse volunt) ominan-  
tium, florentem palmaremque Prussiæ feli-

electus à  
Ven. Capi-  
tulo War-  
miensi.

Consecre-  
tus sub  
tempus  
Comitiorū  
Warsauie.

Adiit Vare-  
miam

et officio  
Episcopali  
diligenter  
inspecto,

ad magnas  
virtutes,

imitatio-  
nemque  
suorum  
antecesso-  
rum

citatem. Quæ causa, præter alias complures, ex non uanis rumoribus habitas, ad lætitiam omnes exciuerat, cogebatque sub tempus quadragesimalis luctus gaudere. Ibi gubernationem solenni sacramento suscepit: simul autem designauit, qui à Vasallis ac Ciuitatibus fidelitatem verbis ritè conceptis promitti audirent. Tum demùm ipse apud animum suum officij Episcopalis leges, limites, onera, pericula euoluere accuratiùs, inireque rationes, quibus suscepta semel moles in humeris securè consisteret. Exempla deinde antecessorum intueri, et quo excellerent suo in munere, deficerentuè scrutari anxiè. Hosius potissimum menti ipsius altè insederat, maximus in Tridentino senatu rerum fidei arbiter. Ejus virtutes jam antea cognitas perspectasque sedulò ordinare cœpit, quò se faciliùs ad imitationem accingeret: nec tam succederet, quam eundem magistratum continuaret. Et verò, qui recentem utriusque memoriam habent, et facta inuicem contulerunt, duos illustres viros Hosium et Rudnicium in unum exemplum confundunt; aut, si duo exempla faciunt, ita simul coiuisse asserunt, ut rem grauissimam alter præstiterit prior tempore, alter judicio solertiaque absoluerit. Mihi verò non est ne-

necessæ comparationem urgere ad laudem.  
Gratulor potius Patriæ, quæ dignissimos plures  
Heroas officiis iisdem accipit: gratulor & in-  
clytis Proceribus, qui pulcherrimam Ecclesiæ  
faciem degeneribus dissimilium factorum line-  
amentis non variant. Coniecerat etiam ocu-  
los in cæteros sanctitate conspicuos Præsules,  
præsertim in Carolum Boromæum, et Rober-  
tum Bellarminum, sibi notissimos; ut ex illius  
quidem vitâ ac monitis, hujus verò præterea  
etiam libellis, quos assiduâ manu voluebat,  
se in formam gregis expoliret. Ita perfectissi-  
mam omnium gerendorum ideam, velut pru-  
dens architectus animo complexus, ad lus-  
trandum Diœcesim se contulit, ad scitis adiu-  
toribus missisque in diuersas partes, quò cele-  
rius mores Clerj, populjque necessitatem per-  
disceret. Rem enim tantam, in qua salus bea-  
tæque vitæ securitas vertitur, alijs semper re-  
linquere, & non ad proprium aliquando reuo-  
care calculum, magnæ esse præsumptionis exis-  
timabat. Nam, ut administrî sint accuratissi-  
mi, æquum est eorum diligentiam interdum  
fulcire exemplo, semper autem plenioris no-  
tiæ fundamentum à sua potius, quam ab aliena  
habere conscientia. Quò verò certius ea,  
quæ apud se decreuerat, destinaret, euocauit

et aliorum  
celebrum  
Antistitum  
se accinxit-

Ut populi  
sibi à Deo  
committi  
mores me-  
lius nosset,

Ipse Diœce-  
sim lustra-  
uit,

Synodum  
celebrauit,

C

ad

ad se Heilsbergam Clerum Varmiensem, in  
quo non pauci Canonum diuinæque faculta-  
tis consulti habebantur. Facilius enim suas  
cogitationes promotum iri sciebat, quas com-  
munibus placitis laudarent iidem, quibus cu-  
ra seruandarum sanctionum imponenda esset.  
Præcipuum fuit studium, decreta Concilij Tri-  
dentini in templo aequè ac sacerdotum ysum  
inducere. Neque defuit difficultas, quùm pro-  
priæ consuetudini ritibusque antiquis tena-  
ciùs adhuc adhærerent. Fortis nihilominus  
ac benigna animorum tractandorum ratio om-  
nia pèrrupit. Breuiarij Romani usus probatus:  
ceremoniæ toti jam Ecclesiæ communes in  
Cathedram admissæ. Quæ in ea Synodo de re-  
bus ad Religionem cultumque diuinum perti-  
nentibus: quæ de moribus formandis promul-  
gata sint, uno uolumine habentur comprehen-  
sa; sed adeò exactè, ut multorum instar libro-  
rum esse possit. Quùm omnia ex sententia ac  
voto cederent, fruebatur Præsul optimus suis  
laboribus, neque sine lachrimis, quas gaudi-  
um et honoris diuini vigor exprimebant, pro-  
uinciam intuebatur. Simul autem accendeba-  
tur magis, ne ea, quæ non sine magna animi  
contentione steterunt, sensim inclinarent, ac  
demum collaborerentur. Quod ne accideret,  
duabus  
que in  
Concilio  
Tridentino  
præscripta  
sunt in u-  
sum  
deduxit;  
& multa  
alia utiliter  
constituit.

duabus rebus potissimum effecit; exemplo im-  
primis, ac deinde indefesso studio. Re famili-  
ari alijs, quos integræ fidei notæque sedulita-  
tis feligebat, commissâ, sacra ministeria per se  
ipse obibat; eò magis ad singula peragenda in-  
teger, quò paucioribus rerum temporalium  
curis se onerabat. Templa arasque dedicare,  
Clerum ordinibus sacris initiare, ad suam Ca-  
thedram solennioribus festis excurrere in mo-  
rem acceperat. Ibi nihil eorum, quæ lugubri  
passionis Dominicæ, læto Resurrectionis die  
fieri ex Ecclesiæ consuetudine solent, præter-  
mittere: pleraque etiam ultra muneric sui ra-  
tionem agere. Non ille tunc horis matutinis,  
vespertiniſuè abesse, non causarum publica-  
rum onere pietatem morari. statio æris cam-  
pani signo, quo cæteri ad diuina euocantur, ita  
parebat, ut unum ex ordine diceres. Heilsber-  
gæ verò quùm degeret, aliquid præterea, ma-  
jusnè an laboriosius dicam? perfecit. Arx ibi  
est ad ripam Allæ sita, magnifica, quamuis sub-  
tristis moles, solertis cuiuspiam machinatoris  
ingenio, ut olim mos ferebat, in quadrum ex-  
tracta, pluribus areis versùs portam extremam  
amplissimè projectis. Eam inter ac Ciuitatem  
flumen modico spatio fluit, longiore tamen cir-  
citu superari solet, ut viæ flexus in locū sacrū

Vt autem  
omnia in  
uiridi ob-  
seruatione  
essent,

nulli parce-  
bat laboris

Cathedram  
Warmiense  
statis tem-  
poribus adi-  
bat,

populum  
exemplo ad  
pietatem  
cultumque  
Dei promo-  
uebat.

definat. Ab antiquo propter ædificiorum amplitudinem opportunamque annonæ copiam eò loci sedes est Episcopalis, & sæpius habatur. Inde Rudnicius festis omnibus in ciuitatis templum commeare solebat. Non illum distantia, non pluuium cælum, non ætas affecta proximum in delubrū, quod in arce est per amplum, includebat: multòque minus ad indulgentiam currús inuitabat. Pedibus, et quidem non raro exulceratā cute languidis, iter illud arduum semper, lubricum sæpè ac molestum, emetiebatur, ut rebus diuinis, ambulatorijsq; supplicationibus palam adesset. Gratissima fuit subditis illa commeandi sedulitas, & pudebat sub tanto exemplo pietatem laboriosè non colere.

Quod melius  
ex ordine  
singula  
perageret,

totum diem  
pulcherri-  
mâ disposi-  
tione tran-  
sigebat.

Primitias  
dici Deo,

Et quia eò usque perueni, operæ pretium est totam vitæ institutæ rationem ordinemq; simul complecti, utili, ut arbitror, enarratione, ut quem multa præclarè egisse sciunt, eius mores animumque sub uno aspectu habeant, septem horis, sæpè paucioribus in somno positis, tres ferè matutinas precibus cælestique exercitio dabat. Tunc accuratiùs cum Dœo transfigere, piis propositis diem ordinare, diuinæ scripturæ lectione se contra labendi pericula vanamque pompam communire, si quid etiam accidisset,

accidisset, quod moram non pateretur, in tem-  
pus illud veniebat. Expediebantur literæ, tran-  
sigenda præscribebantur, & quidquid oport-  
tuit matutinis consilijs disponere. Nec erat ar-  
duum omnia feliciter dirigere, quando singu-  
lis negotijs Deus rerum agendarum arbiter  
ac veluti consultor adhibebatur. Postea sacri-  
ficantem de more sacerdotem audiuit, obortis  
interdum lachrimis, quas Seruatoris passi me-  
moria prouocabat. saepius verò ipse Sacrificium  
in cruentum ex Christi institutione peragebat,  
cælestique epulo pascebatur; expiatâ prius no-  
xarum confessione animâ; quam puram sem-  
per habere, tunc etiam purissimam ad tremen-  
da mysteria afferre nitebatur. In reditu desi-  
deria subditorum audiebat, sed fronte placidâ,  
ne seueritas silentium proponendi querimo-  
nias imperaret: sed miti, ut egestas auxilium  
misericordiamque præsumeret, offensus vehe-  
menter, si supplicū genas illata iniuria lachri-  
mis aspersisset: benignus, quoties aliquid in  
subsidiū esset erogandum. De genu rogari  
ægerimè tulit, obsequio hoc ad aras remisso.  
Ne titulos quidem & sui affectatam compel-  
lationem audire corā sustinuit; eò facilior,  
quò simpliciorem quisquam reuerentiā attu-  
lisset. Auctoritatis metu territos & opem id-

rebusque  
sacris:

alias matu-  
tinis horas  
audiendis  
subditorum  
necessitatē  
bus

circò gestu magis quàm voce implorantes ac-  
cedebat, quæstionibusque humanissimis inti-  
ma ex animis vota eruebat. Libellos supplices  
sumebat ipse in manus, & prompto responso  
lætam à se dimittebat necessitatem. Ergo om-  
nes velut ad Numen quoddam accurrere, Pa-  
tremque communi & adhuc ubique super-  
stite voce appellare: administri autem om-  
nia ex fide agere; certi, nullos in vultu terro-  
res, nullas præ palatio minas excubare, quæ  
taciturnitatem læsis præscriberent: obuiæ au-  
tem parataeque benignitati omnem acceptam  
injuriam loqui posse. Sub hac facilitate & pa-  
ternâ solicitudine sua cuique libertas erat in  
integro. seruitijs nulla vexatione auctis lætus  
agricola insistebat. **D E V S** autem fauebat  
æquitati, & omnia largè proueniebant. Di-  
gressis cum gaudio miseris, pro tribunali con-  
fidere solebat, & causarum forenium ambi-  
guia audire, tam durus adversus preces & lach-  
rimas, quibus plerique legum vice dimicant;  
quàm cautus contra industrios æqui Rectique  
hostes, qui callidâ intercessione iustitiam dif-  
ferunt. Quæ litigantium partes in suam rem  
protulerunt, conferebat cum legum peritis,  
ut plurium iudicio securius jus diceret. sen-  
tentia autem omnis planè fuit decretoria, quæ  
non

et litibus  
definiendis  
dabat.

non minus progressum litis sistebat, quam  
cohiebat emptas stipendio voces Advocato-  
rum, ne jurgandi materiam effugiis accende-  
rent. Crudele enim esse censebat partes mo-  
ra ac dilatione affligere: atterere cunctatione,  
inhumanum. Tot negotijs lassus, quo vires  
restauraret, prandebat circa meridiem. Men-  
sa erat semper diues, magnifica, ac lauta: abe-  
rat interim luxus omnis. Assidebat Clerus, &  
frequens hospes, sacra scriptura vel Historia  
Ecclesiastica prælegebatur, & suus dabatur cibus  
animo; nemine ex adstantibus assidentibus uè  
auso silentium & attentionem violare. Ipse  
hospitalitatis officia parcè initio dispensabat,  
veritus commoda piæ lectionis morari aut  
corrumpere. Reliquum epularum tempus  
humanitati largius concedebatur, & familia-  
ribus coniugii. Et veniebat facile ex audi-  
tis occasio mouendarum quæstionum eruditar-  
rum, tam in re sacra quam ciuili. sed lepor,  
urbanitas, & modesti jocis seriam narrationem  
temperabant, ne animus perpetuâ grauium  
rerum tractatione læsus sensim ad actionem  
languesceret. Ita frugali simplicioreque cibo  
(hunc enim feligebat ex omnibus) & pulcher-  
rimis dissertationibus recreatus, ad solita  
exercitia resumenda fiebat vegetior. Mox  
enim

Refectio  
corporis  
erat mode-  
rata

& cum  
fructu ani-  
mi,

enim eum in conclavi excipiebant iterum diuersæ curæ. quidquid ab his superfuit temporis, sacræ lectioni ac precibus impendebat, donec tempestiuæ cœna ac postea necessaria quies utilem cessationem imperarent: si tamen hoc nomen merebatur somnus, sæpius celestibus suspiriis, ac interdum diuerberatione sui, asperioreque decubitu interruptus.

Complures  
alebat sa-  
cerdotes

institue-  
batque,

ut opportu-  
nè in vacu-  
as paroecias  
submitti-  
possent.

Temporis  
ornamenta  
prouidebat

Erant autem recensitorum suprà laborum socij semper aliquot sacerdotes, quos magnis sumptibus in spem paroeciarum alebat. Interea sanctè religioseque sub oculis magni Præfulis uiuere, ritus pios decenter peragere, munditatem sacræ supellectilis curare assuescebant. Hos diuturnâ inspectione atque experientiâ probatos ad populorum regimen dimittebat, simul atque paroeciam quampiam animorum rectore viduam intellexit. Quippe timebat, ne per moram ex obitu absentiaue Curionum aliquid tempora detrimenti paterentur, & aris cultu diuino destitutis, noxiæ ac vitiosæ feriæ animos occuparent. Ad curam animarum abeuntes muniebat cohortationibus, &, ut erat tractandarum ipse peritissimus, contra otium obfirmabat. Quò verò solertiū singula peragerentur, & ipsa rerum sacrarum magnificencia alacritatem in Clero populoque suscitaret, submit-

submittebat templis ornamenta. Nulla est è  
præcipuis Ecclesiis, quæ in singulis ferè oppidis  
sunt Archipræsbyterales, quam integro, &  
quidem exquisito apparatu non instruxerit.  
Sed Cathedrali, quam suam esse sponsam scie-  
bat, ornandæ operam præcipuam addixerat.  
Illi palatijs sui decora omnia, illi quidquid pre-  
tio aut arte excellebar, velut sponsale veri in e-  
am amoris pignus, transcripsit. Habuisset profe-  
ctò locus ille, quo cum magnificentissimis qui-  
busque certaret, nisi rapax Suetici belli immo-  
nitas, proli dolor! seruandi industriam præ-  
uertisset. Ex tanta copia supersunt adhuc ca-  
lix aureus, sex candelabra argento puro elabo-  
rata, insula pretiosis vñionibus insignis, crux ar-  
gentea, aliaque pauca ministerij Ecclesiastici  
instrumenta, ex quibus de amissis coniçere  
ljeat.

et potissi-  
mum orna-  
uit Cathe-  
dralc.

Inter opportuna promouendæ rei Chri-  
stianæ subsidia est Brunsbergæ Collegium Soci-  
etatis I E S V, quod primum in Polonia ab Ho-  
sio institutum, parens deinde plurium Gymna-  
siorum extitit, deductis in omnes Regni pro-  
uincias coloniis. Ex eo videbat Rudnicius  
iuuenes prodire bene in rebus fidei politiore-  
que literatura excultos, & parœcijs excolendis  
utiles: exiguum interim dotem, nec tot præce-  
ptis.

Brunsb erg-  
gensis Colle-  
gio subsidi-  
um maius  
prouidit.

ptoribus alendis parem. Quæ enim ab initio  
satis superque magna fuere, aucto omnium re-  
rum pretio, & pensione eadem incolumi, supra  
modum decreuerunt. Literis præterea fun-  
dati Collegij, in quibus promittebatur ordinari-  
us prouentus ad ædificiorum restorationem,  
nondum erat satisfactum. Vtraque res piissi-  
mo Præfuli dignissima visa est remedio. Sub-  
mittebat proinde crebra ad rem familiarem,  
commodius tractandam donaria. addidit ali-  
quot agricolas subvectionibus faciendis, agello-  
que excolendo opportunos; quod etiam à Cro-  
mero sequentibusque Episcopis factum erat;  
denique promissione in Canonicorum Colle-  
gio ventilata, annuam pecuniam ad reparan-

Alebat iu-  
uenes com-  
plures suis  
impensis in  
scholis.  
ceterosque Wormditi ad Brunsbergæ,  
scholarum initia præparabat. Triginta omni-  
nò, sæpè & plures erant, sub uno domestico li-  
terarum actionumque omnium arbitro. His  
vestitus, libri, & quidquid corporis schola-  
rumque necessitas requirit, abundè suppedita-  
batur. Non cognati solum sed & diuersi No-  
biles ac plebeii in partem istius liberalitatis ve-  
niebant. Ex his vidit ipse plurimos magno  
cum

cum Ecclesiæ emolumento virtutem ac literas coluisse. Aliqui in Religiosorum familias transgressi: nonnulli ampla sacerdotia occuparunt. plures ciuilibus se addixerunt negotijs. Effecit haç munificentia, quâ etiam in priuato misericordia innotuerat, vt inter Præfules ea tempestate beneficiendi studio ac liberalitate claros, Princeps meritò haberetur.

Quâ verò ratione Catholicam rem in Regali Ducalique Prussia fundauerit ac promoverit, restat dicendum. Inter Vrbes, quæ post factam à fide ac Dœo discessionem, contumaces animos gerebant, erat Elbinga & Regius Mons. Vtrique magnæ vires à diuinijs, sed à fæderatis Hæreticorum factionibus longè maiores; quas vtcunque validè augebant nonnulli, qui gloriam, quam necesse erat ex sacrorum restitutione sequi maximam, Rudnicio inuidebant. Sitamen liuor ille à malitia animique prauitate fuit, & non potius ab ingentibus donis veniebat, quibus fauor emebatur. At Rudnicius vanis obtrectatorum vocibus impedimentisque spretis aut superatis, Elbingam iure aggressus, effecit domum industriâ singulati, vt Regio edicto primaria Vrbis Ecclesia Catholicis cederet. Initio aliquæ minæ intermænia serpebant, & cogitationum periculosam

Fidem Catholicam in Regali Prussia serio promovit

ablate Lutherianis Elbingensibus templo.

rum apud fautores opñnio; sed perficere Ru-  
dnicio iam facilius erat, quām incœpisse. Vr  
erat imperterritus, & in tractandis negotijs co-  
mis simul ac vehemens, Vrbem ædemquè sa-  
cram ingressus, cum paucis Orthodoxis (popu-  
latio enim sacrorum ante sexaginta annos pa-  
trata, communē veræ fidei stragem fecerat)  
pium egit triumphum, Clerum induxit, &, priusquām dotem Magistratus præscriberet, de  
suo aluit. Regiomonti plus aliquantum dif-  
ficultatis exantlandum fuit. In vna quippe vrbe  
negotium totius Ducalis Prussiæ agebatur, me-  
tuentibus Lutheriani Euangeliij patronis, ne  
primo aditu facto, tota deinde noua superstitione  
in exilium erumperet. præsertim, quia Respub:  
antiquissimum ius vrgebat, quo primæ partes  
Romanæ Religioni, postremæ & tantum per-  
missæ dissimulataeque Confessioni Augustanæ  
præscribuntur. Nobiles præterea Catholici à  
professoriâ Islebiensium declamatorum lingua,  
templa sua petebant mundari. Ante omnes  
rem hanc strenuis postulationibus egerunt Ber-  
zeuicius, Matthias Riwocius, & Ioannes Ro-  
sciszeuicius, qui iura patronatūs in rem suam pro-  
ferebant, neque vlo modo cogi patiebantur ad  
dicendos Lutheranæ factionis præcones. Cæ-  
teri, qui hanc prærogatiuam in hæreditarijs  
fundis

Auctoritate  
nexus Re-  
gia.

Et amicitia  
Electoris  
Brandenbur-  
gici,

Quæ etiam  
vhus est ad  
veteres de  
limitibus li-  
tes compre-  
nendas.

Prouisa est  
ergo Regi-  
omontina-  
ua sacra et  
des pro Or-  
thodoxis.

fundis non habent, volebant libertatem sibi re-  
linqui Oratoria noua extruēdi instituendique.  
Qui hæc à Duce Prussiæ exigebant, erant ma-  
gni nominis viri. Eos inter Rudnicius non  
authoritate solū sed etiam amicitia apud Ele-  
ctorem plurimū valebat, nec secūs quām Pa-  
ter honorabatur: quo etiam nomine Elector,  
optimum Präfulem sāpē compellare solebat  
inuisebatque subinde Heilsbergæ tanquam a-  
amicum; nec erat quidquam adeò difficile, quod  
in eius gratiam non faceret. Nam & antiquis-  
simas de Limitibus controuersias, quæ præde-  
cessorum temporibus, non sine partium sanguini-  
ne agitabantur, nominatis vtrinque arbitris,  
cum magna Ecclesiasticæ vtilitatis accessione  
sustulit: & prima posuit fundamenta pacis,  
quæ hucusque vicinos inter vtriusque Prouin-  
ciæ incolas sanctè religiosèque obseruatur. Hu-  
ius familiaritatis priuilegio vhus est etiam Ru-  
dnicius ad rei Catholicæ propagationem, mo-  
rasque omnes amouit, quæ progressum voto-  
rū sistere poterant. Erectū est ergo Regiomōtiā  
fundamentis templum pro Orthodoxis, perpe-  
tuāque dote instructum: data libertas Nobili-  
bus erigendi Oratoria: securitas prouisa trans-  
ferentibus templo ad Catholicos ritus: pœnæ in  
eos scriptæ, qui conuictijs aut scelere religionem

D 3

infe-

infestarent. Quę omnia priusquam pactionum  
publicarum nomen obtinerent, excuti ingenii-  
osę debuit vis priuilegiorum, feudi iura, aucto-  
ritas legum, aduersarię sectę immunitas. Ne  
autem partium conatus procederent, rationum  
potestate certandum fuit, obicesque ponendi,  
ne aduersus vetustissimam fidei originem he-  
sterna conualefceret. Quād feliciter cā in re  
sit laboratum, Rex postea estimauit, collauda-  
tis sententijs, & in volumen Prutenę libertatis  
iussis inseri. Rudnicius interim lātitiā non me-  
diocri perfruebatur, quum verus D E I cultus  
propagaretur, pulsisque Nouatoribus templa  
Nobiles instaurarent, Berzeuicius in Lisnow,  
Riwocius in Lencko, in Przelenk Rosciszewi-  
us: Sadorscius verò Lindam, iam antea miracu-  
lorum famā celebrem, Oratorio instrueret.  
Quem locum Rudnicius, propter crebrum  
populi concursum, adeo probauit, vt etiam ad  
structuram plurimū contulerit. Inquies e-  
nim & eiusmodi occasionum haud segnis, non  
solebat fabricandi inuitamenta omittere, qui-  
bus cælestis veneratio crescere potuit. Vnde  
& Heilsbergæ nouam titulo B. Stanislai Marty-  
ris ædem extruxit, quū antea inter exiguos sim-  
plicesque parietes Scholis superstructos tota  
Polonorū deuotio perageretur: & imperfe-  
ctum

Et aliae plu-  
res in di-  
uersis Prus-  
ic locis,

In suis quo-  
que Terris  
templo,

Arcesque  
restaurauit.

Contra sed  
ditiosum  
exercitum  
subditos  
rario suos

ctum Vartenburgensium Minoritarum Cænobium ambulacris ac cellis, templum fornice exornauit. Quanquam ne ruinas quidem Arcium suarum pacato satis oculo poterat intueri; ideoque potentius, quam hæredes superdamnis damnorumque periculis commoueri solent, ferebatur ad restorationem. Hic amor illum impulit, ut Arcem Brunsbergensem, in eam, quæ nunc est, formam structis propugnaculis portisque spectabilem redigeret: Resseliensem verò iam vna ex parte collapsam, turri ac muro, opere sanè pulcherrimo, communiret. Multò vehementius autem illum tangebat commiseratio calamitatis omnis, quæ vastationem subditis minabatur. Tunc nec sumptibus, nec sibi parcere sciebat. Patuit id in illa famosa seditione militum, qui ob dilata stipendia fæderibus iuratis conspirauerant in patriam, & mercedem quidem expectare vide ri volebant, cæterum prædas agebant ex Ecclesiasticis potissimum bonis, & aquæ tunc domesticis, ac Moscis antea, fuerunt hostes. Multos hac populandi licentiâ vicos villasque afflixerunt; prope desperantibus, præ cladis magnitudine, Sacerdotibus, solitam ex agris utilitatem. Quæ miserabilis conditio ne por-

ro  
oltrin

ro Varmiam afficeret, & non tam damnum  
( id enim leuius aestimari potuit ) quam tota  
duraturaque prouentuum strages in campos,  
ad agricolas extrema paupertas perueniret, mo-  
lestia exactoru desideria suis ipse impensis com-  
posuit. Quum verò iam ærarium cupidissimis  
hominibus pacandis non sufficeret, argente-  
am suam supellectilem impendit; & tum pri-  
mùm, consulto Pontifice Maximo, etiam E-  
piscopales fundos in pignus dedit. insolitum  
profectò calamitatum pretium, sed quod vni-  
cum iam, exhaustis cæteris remedijs, supererat.  
Hanc eandem curam in Senatorio munere fa-  
miliarem sibi perpetuamque habuit; magnop-  
erè solitus, ne ex suorum consiliorum absen-  
tiâ aut mora alicubi Patria succumberet. Eam  
ob causam, quamuis sèpè valetudo, postea ve-  
rò etiam senectus labores excusaret, omnibus  
Regni Comitijs & Prussiæ Conuentibus inter-  
rerat; dicere solitus, Senatores ne vnam qui-  
dem horam sibi viuere debere; idque vnicum  
esse veri erga Rempublicam amoris testimoni-  
um, quod superata difficultas ostenderet.

His immorantem fractumque studijs  
morbus Heilsbergæ inuasit, latus quidem ini-  
tiò sed non vnuis; ipsâ prouectâ etate colligen-  
te in cumulum plures corporis ruinas: animus  
nihilo-

diuenditā  
supellectile:

Fundis in  
pignus da-  
tis defendit.

Regnum  
consilij pu-  
blicis sedu-  
lo iuuit;

nihilominis ad omnia integer erat, & tunc vel  
maxime circa salutem aeternam sedulus. Vi-  
debatur ergitudo superari potuisse: sed tribus  
ante obitum mensibus cælitus admonitum.  
fuisse constat ( quemadmodum ipsem et  
sacerdoti narravit, qui ipsius conscientiam mo-  
derabatur ) diuturnæ vitae spem nullam resta-  
re. Stanislaus enim è D. Francisci familia  
Vartenburgensis Guardianus, fatis ante annum  
functus, quiescenti sub noctem apparuit, addi-  
tis hisce verbis. Domine Episcope, compares  
te ad mortem: ex hoc morbo non euades. Ab  
hoc tempore in memoria longioris vitae nul-  
lum habuit sensum; immo, quasi in ea visione  
aliquas cælestis gaudij primitias delibasset, mor-  
tis mentio illi fuit dulcissima. Proinde statim  
ea adhibere caput, quæ morituris in promptu  
esse debent. Expiavit totius vitae noxas, acce-  
ptoque cælesti viatico, etiam sacro oleo contra  
ultimo hostiles assultus se muniri curauit.  
**Quidquid** temporis ad mortem usque superfu-  
it, sibi impendit. Ita illi terrena iam fastidio  
erant, ut praeter DEVM ac diuina saperet ni-  
hil. Sermo omnis spirabat pietatem, & ad  
commendationem diuinæ misericordiæ, digna-  
tionis, prouidentiæ ferebatur. Augustissimam  
**Virginem** cæterosq; Diuos quum inuocaret, ita

Mortæ eius  
præcessit  
longior æ-  
gritudo,

& predicti-  
o cælestis,

aliaque o-  
mnia Chri-  
stiana re-  
media.

afficiebatur, quasi iam beatos choros oberraret.

*Obitum i.  
plus Var-  
mia cum  
magnu lu-  
cii accepit.* In hac animi præparatione 4. Non: Iul: circa vesperam, annorum sexaginta nouem, ex quibus sedecim in Episcopatu vixerat, decepit. Cōploratio statim Aulæ totius ac Prouinciaæ secuta ingens, quasi ipsa benignitas è terris aliò commigrasset. Nescio an Varmia effusiore luctu, virtutumque narratione Præfulem aliquem defluerit. Interim solatio erat, quod, quem sciebant mortuum, videbantur sibi adhuc spectare præsentem in tot præclaris monumentis, structuris, allocutionum memoriâ, denique in extremæ voluntatis scriptura. Fecerat enim in testamento quandam veluti præstitorum sibi obsequiorum summam, quando nullum ex familia aulica, nullam ex Ecclesijs, quarum censu vixerat aliquando, beneficio ultimâque amoris contestatione præterijt. Nec propinquiorum cognatorum fuit immemor; sed, quemadmodum antea neminem emptione fundorum, quod plerisque familiare est, dñauit, ita moderationem eandem moriturus non excessit. Volebat dici abundè suis prouidisse, quando hæreditarias villas Vnieiouensi Collegiatæ Ecclesiæ adscripsit, iure penes familiam relicto adeundi possessiones simul cum diuini cultus exercitio. Varmiensis interim

*Testamen-  
tum plane  
Episcopale  
confecit.*

Cathe-

Cathedra hæreditatem ex triente occupauit :  
cætera ad præscriptum distributa. Locum  
sepulturæ sibi ipse in Cathedrali Ecclesia de-  
signauerat, præextructo nobili monumento,  
quod postea infesta Suecorum manus violauit.  
Sed Capitulum Varmiense, vt gratam benefi-  
centissimi Præsulis memoriam conseruaret,  
propagaretque in posteros, impensis publicis  
marmoream aram, sacratus nempe opus, priori  
suffecit. Dies exequiis dat' prid. Id. Aug. Certa-  
tim ad extremam sui Præsulis pompam attulere  
subditi vectigales lachrymas: Brunsberga verò  
etiam addidit copiosiorem præ alijs honorem,  
quando euntem in tumulum obuiis ducentis  
in pullo amictu equitibus accepit, & Fraum-  
burgum deduxit. Ita tunc supremâ lamenta-  
tione Præsul comploratus, compositusq; est: si  
spectes animi ornamenta, ciuilis prudentiæ glo-  
riam, egregia facinora, amplissimus: si fidem,  
DE I cultum, deuotam liberalitatem, piissimus:  
si Regis æstimationem, Regni desideri-  
um, prouinciæ vota, consiliorum  
successus, felicissimus,

In Cathedra  
drali Eccle-  
sia tumula-  
tus est.





<http://www.krcin.org.pl>







